

ELEGIA ACADEMIAE VIENNENSIS

AD MAXIMILIANVM INCLYTVM BOHEMORVM REGEM

ET AVSTRIAE ARCHIDVCEM ILLVSTRISSIMVM, &c. QVA

illi de reditu & matrimonio felici
gratulatur.

145

Fama meas nuper cum peruenisset ad aures,
Quam mihi non vñquam gratiōr vlla fuit:
Huc ad nos tandem te, Maximiane, reuerti
Inde, vbi fulua fluit diuitis vnda Tagi.
Illico tanta meam subierunt gaudia mentem,
Non breuibus verbis quanta referre queam.
Vtque sibi caro mulier quæ fortè marito
Per longum spacium sola relīcta caret:
A patria saluum cum non procul audit abesse,
Lætitiae exultans nescit habere modum:
Vtque suum nati gaudent rediisse parentem,
Hospes in externo qui fuit orbe diu.
Sic gauisa tuo reditu sum, maxime Princeps,
Vsque adeò vt mecum non satis ipsa forem.
Tunc igitur cupij, votoque flagrante petui,
Mille mihi linguas oraque mille dari.
Vt mea per totam vulgarem gaudia terram,
A te quæ nomen nymbifer Auster habet.
Vtque tibi nostrum declararemus amorem,
Qui mihi nunc deinceps omnia solus eris.
Qua potui tamen, hac volui ratione placere,
Hæcque fero imparibus carmina facta modis.
Ex quibus, vt spero, cognoscet quisque bonorum,
Quam venerer, quam te non simulanter amem.
Forsan & è nostris aliqui inuenientur alumnis,
(Rursus enim iam sum mater, vt antè fui)
Matris ab exemplo tibi qui placuisse laborent,
In reditu & plaudant, exiliantque tuo.
Gratulor ergo redux nostras quod facetus in oras,
Cum tibi dilecta coniuge saluus ades.
Coniuge, quam casto socij tibi fœdere lecti
Felici iunxit fide faustus Hymen.
Qua te nulla magis reperiri digna marito,
Scandere quæ potuit sola cubile tuum.
Nanque nec (audiui, nec me fama illa fecellit)
Hac est nobilibus moribus vlla prior.
Vlla nec ingenio facilis præstantior vsquam,
Vlla nec ob formam suspicienda magis.
Cedant, plus veteres quicunque Heroidas æquo
Ad rutili tollunt laudibus astra poli.
Illarum nulla est, quam non hæc regia coniunx
Vincat præclaris innumerisque bonis.
Adde, quod & veræ pietatis sedula cultrix,
Vt decet, æternum nouit, amatque Deum:
Ipsa ego, cum thalamum pariter venisti in vnum,
Hæc res est, dixi, quæ sit agente Deo.

Hasque tibi tum sum tædas gratata iugales,
Vt fortunaret, sumque precata Deum.
Cum procul occiduis te terra teneret in agris
Fertilis, aurifero quam rigat arne Tagus:
Cumque tui traherer reditus spe, sed mora lenta
Conficeret curis meque meosque tamen.
Nunc tibi præsenti præsens positoque timore
Gratulor, ô nostrum, Maximiane, decus.
Vtque sit hic, opto, felix hymenæus, & orbi
Terrarum afflito commoda multa ferat.
Hoc pater omnipotens, qui fulgida sidera torquet,
Omniaque ex illa conspicit arce, velit.
Flagitat hoc saeuis Ecclesia pressa procellis,
Dum furit hoc Satanás tempore mille modis.
Flagitat hoc etiam non vna parte laborans
Publica res, per te restituenda sibi.
Hoc omnes orant, communis cura salutis
Quos tenet, & rerum quos status iste mouet.
Hoc ego cum cunctis, qui culta Licea frequentant
Nunc mea, solicita posco subinde prece.
Nam mihi pollicor certam te Rege salutem,
Quamvis sors non sit nunc quoque flenda mea:
Aurea enim redeunt, quæ quandam secla fuerunt,
Et mea iam fama est redditia penè mihi.
Huc iterum iuuenes concurrunt vndique, castæ
Quos inuicta iuuat Palladis arma sequi.
Ipsa suas iterum profitetur sancta Minerua
Hic artes, assunt Pegasidesque Deæ:
Sed maius quiddam tamen auguror esse futurum,
Tempora si mihi tu inulta superstes eris.
Cumque tuis pariter si prosperitate frueris
Fortunæ, virtus qua sine sapè labat:
Ergo te Christus seruet cum coniuge cara,
Nestoreos vobis viuere detque dies.
Det sobolem videoas, & qui nascentur ab illa,
Det, sternas hostes victor ubique tuos.
In primis contra cum moueris arma tyrannum,
Impietas cuius fine modoque caret.
Muniat angelica tum te, cingatque cohorte,
Et det, Marte tuo bestia fœda cadat.
Hoc precor, hoc supplex ego numina sancta precabor
Donec in hoc aliquod nomen habebo solo.
At tu lapsarum spes vñica & optima rerum,
Dulce decus nostrum præsidiumque vale.
Maximiane vale, Rex maxime, meque reuerso
His fer gratatam versibus esse tibi.

VIENNAE AVSTRIÆ
excudebat Egidius Aquila, Anno
Domini, M. D. LII.

J. S. 52.

